



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 179. De manso et macipiis trditis in villa Hetlogun.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno
854 vsque
877 re-
gnante
Hludo-
uico et

ibidem uellet habitare ipsam quamdiu uiueret haberet fin autem et post excessum eius ad reliquias scōrum martirum stephani atque uiti pertineat iure hereditario testef ico thiadrid marcuuarduf adaluuarduf.

§. 179.

Tradidit tatto in *hetlogun* (x) mansum unum cum mancipiis duobus eruli et alffuit testef aluric friteric hemmic adulf runger uerin ailger.

§. 180.

Tradidit *haduui* in *rimbeke* (y) mansos III. cum familiis in *fran-*

gauimus, circa oppidum Steinheim pagum *Wessalon* existisse, sed pagum generalem *Angeri* et pagum specialem *Huuetigo*: ita obseruandum est, in episcopatu Paderbornensi esse iam dictum oppidum *Steinheim ad Emmeram*, distans unum milliare circiter ab acidulis Pyrmontanis, olim in comitatu Sualenbergico situm. Exstat aliud *Steinheim* haud procul a *Lichtenau* oppido, unum milliare circiter ab vrbe Paderborna omnino distante. Neque hunc vicum hic intelligere licet, quia haec villa, si ipsa anno 1023 iam existisset, pago *Patbergo* fuisset contributa. *Heribrunum* enim villa, ut iam supra §. 30. uidimus, in pago *Patbergo* posita erat, quae longius abest ab vrbe Paderborna, quam vicus *Steinheim*. Tum uero per *Steini* designari nequit locus *Steenbusen*, in eodem episcopatu Paderbornensi situs inter *Geseke* et *Buren*. Marca enim *Sturmetbi*, quae, ut supra docuimus, terminus *Angaria* et *Westfalia* erat, illud non permittit. *Steinem* ergo vicus, dictus *dorp Steinem*, cuius tertiam partem domini de *Schilder* in feudo tenent ab ecclesia Paderbornensi, melius uillae *Steini* consonare in pago *Wessalon* uidetur. Hanc in regione, in qua *Hoenfili* reperiebatur, existisse, probabile est. Sin uero mauis per pagum *Wessalon* significari pagum generalem *Wessalon*, nobis id perinde gratum erit. Vocabulum enim *Wessalon* interdum sumi pro pago generali, negari nequit. Atque id ipsum probat diploma imperatoris *Heinrici IV*, quo ad annum 1085 *Liemaro Hammaburgensi* archiepiscopo *abbatiam Fredena*, in pago, *Wessalo* dicto, et in comitatu *Gerhardi* comitis sitam, concessit, quae sine ullo dubio est *Vreden*, monasterium sanctimonialium virginum in diocesi *Monasteriensis*, inter urbem *Monasterium*, et inter *Borckelo* in confinio comitatus *Zurphanienensis* situm. De eo conferendus est *Ioannes Hobbelling* in *Beschreibung des gantzen Stift Müntsters* p. 40, et *I. D. de Steinen* in *Appendice tertia* p. 338. In hac porro regione, ut postea docebimus, situs erat pagus specialis *Scopingo*. Hanc sententiam denique confirmant uillae *Wyenerwald*, *Ballana*, *Muchuris*, *Gheuetum*, *Laarun* et *Heribrunno*, quippe quae aequae uiscbantur in pago *Wessalo*. De hisce alio tempore acturi sumus, illud tantum addentes, *Heribrunno* uillam uideri esse *Herbirum* ad fluuium *Emisam*, in inferiori episcopatu *Monasteriensis* sitam.

De villa
Hetlogun.

De villa
Rimbeke
et Hadu-
wi abba-
tis Wari-
ni sorore.

(x) *Hetlogun* villa sita fuerit oportet in episcopatu *Osnabrugensi*, indice nostro *Registro*. De villa pluribus exponemus in *Historia* nostra *Corbeiensis*.

(y) *Rimbeke* villa in nostro *Registro* inuenitur posita intra pagum *Hessi*. Vnde rectissime concludimus, hanc esse eandem uillam, quae supra §. 92. appellabatur *Rimbecki*. Ipsa hodie uocatur *Rimbeke*, iacetque inter *Warborg* oppidum et monasterium *Hardehufen*, seu, ut accuratius situm indicemus, inter *Narden* et *Scherue*, vicos episcopatus *Paderbornensis*. Cum igitur comes *Amalungus* in eadem uilla §. 92. quaedam donauisset, quem fuisse maritum *Hadwy*, ex §. 125 et 149. patet, indubie *Haduwi*, quae hoc testante §. tres mansos donauit ad *Rimbecke* sitos, soror *Luidolfi* ducis, et filia *Ecberti* ducis fuit, genitrix quippe celebratissimae familiae ducalis *Billinganae*. De hac egimus §. 104. not. (w). Ut autem constet, ad quosnam haec bona, in *Rimbeke* posita, peruenerint, producemus litteras *Henrici*, nobilis domini de *Homborg* et abbatibus *Corbeiensis*, quarum haec est summa:

Nos